





1689, 3
3

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DIABETE
VERA,

Quam
AUXILIANTE DEO
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS
MEDICÆ CONSENSU
IN ILLUSTRIS HAC ELECTORALI VIADRINA
PRÆSIDE

DN. BERNHARDO ALBINO,

PHILOS. & MED. DOCTORE, hujusq; PROFESSORE
ORDINARIO CELEBERRIMO, p. t. DECANO

SPECTABILI,
PATRONO, PRÆCEPTORE ac PROMOTORE

Omni observantia ac honoris cultu atatem devenerando

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA
atq; PRIVILEGIA DOCTORALIA

legitime consequendi

Publico Eruditorum Examine submittit,

Ad d. 17 Maji Anni MDC LXXXIX.

Horis ante- & pomeridianis,

JOH. ERNESTUS SCHAPER,

Cüstrin. Neo-March.

Francofurti ad Oderam, Typis JOHANNIS COEPELII, Acad. Typ.



*Reverendissimis, Perillustribus,
Generosissimis, Generosis, Maximè Strenuis, Fortissimis,
Nobilissimis, Consultissimis, Amplissimis, Pru-
dentissimis ac Spectatissimis*

MARCHIONATUS LUSATIÆ
INFERIORIS

ORDINIBUS

ac

STATIBUS,

DOMINIS SUIS

PERCLEMENTIBUS AC BENIGNISSIMIS
PATRONIS AC FAUTORIBUS SUMMIS,

INAUGURALEM hanc DISSERTATIONEM

humillimè dedicat

Johannes Ernestus Schaper.



Proæmium.

RAra non esse artis in proverbium abiit, quotidiana enim ingeniosissimorum solertiam occupant & omnes meditationes in se convertunt, ut ad rarius occurrentia vel non attendant, vel rei difficultate & novitate territi de enodatione desperent, nec ultra admirationem progrediantur. Cum tamen & quandoque corvus aqvæ, ita nec ingeniosi desunt, qui rara arti obedire jubent & è puteo in apricum ducunt, quod hieroglyphico exprimerent Messanæ, quæ inter moluccas insula est, incolæ cornutæ aves, ex quarum ovis, ad tres quatuorve ulnas licet in terra defossis, pulli tamen excluduntur. Vix hodiè inter rarò observata quidpiam reperies, quod vel non explicatum est, vel circa quod explicandum omnibus viribus non desudetur. Quod Romani de Africa, id de re medica verius dicimus,

A 2 semper

semper enim aliquid novi habet; quotidianæ
nempè observationes tot rara suggerunt, quæ li-
cet artis esse non videantur, artis tamen sunt.
Omnia illa recensere nec animus est, nec institu-
tum fert, ex omnibus tamen morbum, cui inter
rariora medica non ultimus tribuitur locus, Dia-
betem nempè Veram, ut de eo Disputationem
Inauguralem conscriberem, selegi; teste Galeno,
suffragante Tulpio, atq; aliis authoribus medicis
gravissimis loquentibus, rarissimus est, adeò ut
non artis dici mereretur nisi medici illum co-
gnoscerent & curarent. Morbi infrequentia
causam minus obviam & difficilem arguit, no-
lim tamen credas, **BENEVOLE LECTOR**, me ad
ostentationem hunc elegisse, sed meæ supelle-
ctilis mihi conscium esse & talem arrogantiam
longius à me abesse credas; Selegi illum non
alia de causa, quàm quia placuit, eâ quâ alii liber-
tate usus: Si placuerit tibi thema perleges scio,
sin minus, aliud quodvis thema idem periculum
subire potuisse persuasus sum: Sin perlegeris
tuam obtestor benevolentiam, mihi ut adeò be-
nignè faveas quàm humiliter de me ipso sentio.

THE-

THESIS I.

Dlabetes apud Græcos à transeun-
do, vid. *Διά* per, & *βαίνω* transeo, no-
men sortita est, ab aliis diverso intuitu
aliter appellata, modo enim ad ma-
gnam urinæ copiam respiciendo, urinæ fluentum,
profluvium, Siphon & matula intercus à Latinis, A-
rabibus & Medico antiquissimo Sereno, ita recensente
H. Mercuriali Med. Pract. lib. 3. cap. 30. *διψακος* Græ-
cis, quod eam comitetur *διψα* ἀνεργεῖς, vel ab her-
ba dipsaco, in cujus alarum cavo finu ros falsus, sitis
author, subsistit. C. Plinius Secundus *hist. nat. lib. 27.*
cap. 9. vel à serpentis quodam genere in Lybia ori-
undo, dipsas dicto, nomen à siti quàm ictu suo in-
fert sortito, unde etiam Isidoro fitula audit, Joh.
Jonstonus *Hist. de Serp. tit. 2. cap. 1. art. 7.* Interdum
hydrops ad matulam seu aqua inter cutem, vel li-
enteria urinalis, diarrhœa nephritica nuncupatur,
Germ. die Harnruhr.

TH. II.

Nimii urinæ profluvii duæ passim observantur
species, in quarum altera urinæ redditæ quantitas il-
lam potus assumpti longè superat, qualem peren-
nem transitum currentis urinæ ultra tertium men-
sem continuantem vidit Nic. Tulpius *Obs. Med. lib. 2.*
Obs. 46. quatuor cantharos mingentem, utut vix qua-
drantem biberet, recenset inter alia Schenckius *Obs.*
13. Mediolanensem puellam singulis sexaginta diebus
sedecim matulas urina implevisse, licet tres circiter
A 3 ampul-

ampullas biberit, memorat Paschasius *l. 1. de Cur. morb. cap. 52.* In altera verò cita potulentorum aut planè non, aut parùm admodùm immutatorum per vias urinarias excretio notatur, tale quid sibi Patavii à Benedicto Sylvatico relatum, qui mejentem vinum rubrum eo colore & odore quo fuerat haustum viderat, refert Th. Barthol. *Hist. cent. 1. obs. 68.* qui eodem loco in se ipso post potum vini rhenani, quem salutis causa mediocri poculo hauserat, redditam esse urinam vino epoto tam similem, ut pro vino ipso harum rerum ignaro potuerit propinari, quæ etiam sine sedimento ullo incorrupta per menses plusculos mansit, notavit. Uterque affectus Diabets, prior tamen notha, hæc posterior vera, dicitur. Priori missa posterior meæ considerationis erit.

TH. III.

Variè describi solet. Aetio *lib. 2. cap. 1.* affectio est diuturna multum potum inducens, una cum hoc, ut quicquid bibitur, quemadmodum acceptum est, per urinam ejiciatur. Galeno *lib. 1. de Crisibus. & lib. 6. de Locis affectis* est velox urinæ exitus, ejus quod potatum est suâ qualitate non mutati; quale quid aliis saltem verbis Paulus *Prax. lib. 3. c. 45.* describit. Phænomena enim Diabetis sunt, quod potus non mutatus citò & copiosè per vesicam reddatur, & sitis continua cum febre lenta adsit, quare fauces arrent & præcordia insigniter æstuant, saliva est atra & spumosa.

TH. IV.

Cum ad sitim à nimio aromatum usu & generosio-

rosioris vini potu ortam cerevisia triticea secunda-
 ria vir temperamento sangvineo-cholericus levan-
 dam uteretur singulis noctibus, urinam in quantitate
 quadruplo majori reddebat, quæ colore & odore
 potum assumptum exactè referebat. *Epb. nat. curios.*
dec. 2. ann. 2. Obs. 124. A largiori farciminis piperati esu
 ortam ex Lusitano refert Schenkus *Obs. lib. 3.* In
 adolescente cæpis largiter & sæpe uso semel vidit Ja-
 cob. Sylvius *Oper. med. part. 4. pag. m. 442.* à potu succi
 betulæ diabetes lethalis notata *Epb. nat. cur. dec. 1. ann.*
2. obs. 108. in puero septenni Griesbachenses acidulas
 pro libitu & in copia bibente, qui singulis noctibus
 plusquam libras decem (quantitate vini aquæ admi-
 sta non observata) ebibit, & eodem modo protinus
 nihil alteratam iterum eminxit illam observavit Fa-
 britius Hildan. *Obs. Chirurg. cent. 5. obs. 53.* Vinum rhe-
 nanum assumptum rursus per urinam reddidisse
 Bartholinum supra vidimus, cui simile prorsus Rhu-
 dius *Lib. 2. prax. cap. 39.* observavit. A vino meracio-
 re & cretami muria conditi nimio usu diabeticum
 vide sis apud Amat. Lusit. *Cent. 2. cur. 94.* A febre
 maligna talem vidit Trincavellius *Lib. 10. c. 11. de Rat.*
curand. part. hum. corp. à constitutione atrabilaria in
 Magdalena Farsacia Dom. Depassis diabetem quadri-
 mestrem (quo tempore, licet à febre immunis esset,
 toto corpore æstum insignem percepit, imò præfer-
 tim ventre, comite siti adeò intensa, ut deliquium a-
 nimi præsto esset statim ac potus deficeret, adeò ut
 unaquaque die & per noctem aquæ quatuor ad mi-
 nimum fitulas exhauriret, ac eam illico nequaquam
 immutatam per lotium profunderet) recenset in
 Zod.

Zod. Med. Gall. 1681. Mens. August. Obs. 6. Alfonsus Rex Neapolitanus ex abusu cotoneorum Diabeticus fuit. Paschasius *de Cur. morb. lib. 1. c. 5.* Diureticorum abufui simile passim tribuunt Scriptores; Hæ igitur in præsentiarum mihi sufficient causæ ex quibus in sequentibus hujus morbi naturam cognoscere annitar.

TH. V.

Difficillimus hic affectus in diversa eruditos traxit, adeò enim rarus est, ut non defuerint, qui difficillimum hujus phænomenon vel in dubium revocaverint, vel penitus negaverint, hac de re expressa extant verba Willisii. Quod autem plerique aucthores potum aut parum aut nihil immutatum reddi asserunt à verò longissimè distat: quoniam urina in omnibus (quos unquam me novisse contigit, & credo ita in universis habere) tum à potu ingesto tum à quovis humore in corpore nostro generi solito plurimum differens, quasi melle aut saccharo imbuta, mirè dulcescat. Prædicti erroris occasio (ut opinor) fuit urinæ color; qui semper crudus & aquosus, velut pica aut hydrope laborantium, apparet. *Pharm. ration. Sect. 4. cap. 3.* Nec miror hoc, Willisioque adstipularer nisi Magni Nominis Medici sensuati essent testes ejus quod hic saltem se vidisse negat; albo corvo rarior est. Se nunquam vidisse in occidente, nec à suis Doctoribus audivisse quod eam viderint Rabbi Moses autor est: Nec Hippocrates affectus hujus meminit, quod multa lectione se notasse ait H. Mercurialis *Med. Pract. lib. 3. cap. 30.* idem quia non viderat, rationem esse
conji-

DE DIABETE VERA.

conjicit, unde etiam quam rarissimè à Veteribus nominari asserit. Vidit tamen illam semel 1615. in puero septenni Solodurensi Gvil. Fabritius *Obs. Chir. cent. 5. Obs. 53.* semel in vetula Alcmariana observavit. P. Forestus *Observat. lib. 24. Obs. 4.* Bis hunc affectum saltem viderat, cum in provec̃ta ætate libros suos ederet Galenus *6. de Loc. aff. 3.* In biliosi temperamenti patre & filia ter visus Rondeletio. Decem annorum spatio in calidioribus & orientalibus regionibus plures quam viginti veras Diabetes vidit Rabbi Moses *apb. 8.* ut jam taceam Erastrum, Cardanum, Rulandum, Dodoneum, Tulpium, Hollerium, Rolincium aliosve, qui passim ejus meminerunt.

TH. VI.

Cum Scriptores circumspicio, illi in solo sensu consentire videntur, adeò ut ferè tot sensus sint quot capita, adeò in hujus affectus causa non conveniunt. Galenus, & qui illum sequuntur, tres diversas renum facultates lædi scribit, primo nempe & principaliter attractricem, quæ omne ad renes trahat serum ex emulgentibus, has sugere & trahere à jecore, jecur à venis meseraicis, has à ventriculo, quo ficcato fitis intolerabilis & urinæ inde copia exoriatur. Hanc feri copiam retentricem ferre non posse, sed illam dimittere, & hoc ipso essentialiter lædi alteratricem, quæ tempore destituta alterandi suo munere etiam privetur. Hier Mercur. *Med. Pract. lib. 3 c. 30.* Fernelio credibile non videtur renum attractionem tantam esse, ut se ad ventriculum usque extendere & crudum potum attrahere possit. Aliis placet insignis in-

B tempe-

6
 temperies calida in hepate, & toto venoso genere succensum sanguinem fundere, & aliquid ejus in ferum mutare, quod deinde à renum caliditate attrahatur, illos, cum feri multitudinem ferre non possunt, permittere ut cum impetu ad vesicam ruat & emingatur. Huic posteriori opinioni accedunt alii, addendo imbecillitatem & laxitatem non ventriculi solum, sed partium illarum quæ aquosum humorem è ventriculo & intestinis ad hepar & lienem ferunt, quanquam etiam hepatis & lienis calor ad subitam feri attractionem aliquid facere possit, de quibus prolixè vide D. Sennert. *Tom. 2. lib. 3. part. 7. Sect. 2. cap. 2.* Fundamentum ratiocinationum harum totum facultatum doctrinæ innititur: sunt illæ animæ vires, per quas familiare alimentum attrahunt, attractum retinent & mutant inserviuntque facultati nutriti, quæ est pariter animæ vis, qua alimentum vi caloris innati in corporis substantiam convertitur, ad reparandum id quod absumitur; Suntque hæ facultates accidens proprium & inseparabile animæ, per quod certas functiones exercet. L. Riverius *Instit. Med. lib. 1. Sect. 6. cap. 1. & 3.* Erit igitur talis sensus, læsa esse accidentia propria & inseparabilia animæ, per quæ functiones attractionis, retentionis & alterationis vitientur, est proinde totus affectus morbus mentis. Dem igitur mentem læsam esse, qui fiet quod illa suæ læsionis conscia non sit atque sui planè immemor? Dem mentem læsam esse, hæc ne sufficiens erit causa mechanica corporeæ affectionis? redundabit ita maxima morborum pars in mentem, illaque sanissima licet perpetuo

petuo ægrotabit; exulet igitur mechanica & corpus machina esse desinat, aut hujus functiones mechanicè applicentur. Video quidem mechanicam adeo ab ipsis non contemptui haberi quin & ejus meminerint. Trahit attractrix serum ad renes ex emulgentibus, hæ sugunt à jecore, jecur à venis meseraicis, & hæ à ventriculo: Hæc talia sunt, ut sicubi in his lapsi fuerint, iis omninò condonare debeamus cum hodiè infinitis experimentis evictum penitus sit, nullam attractionem, suctionem nullam, sed solo impulsu in universo fieri omnia: Cum constet sangvinem per arterias emulgentes in renes intrudi & per venas refluere, cum constet immediatum nullum renibus intercedere commercium cum hepate, ita ut licet suction salva esset, viæ tamen, per quas illa fieri deberet, non adessent. Nil hepar sugit è venis meseraicis, sed vena porta in illud omnem refluxum eructat cruorem. Memorata ergò mechanica mechanicæ corporis confirmationi repugnat. His superaddunt alii insignem hepatis intemperiem calidam, cum toto venoso genere succensum sangvinem fundere & in serum mutare. Hepar & venosum genus partes solidæ sunt, adeoque per se intemperatè calida dici nequeunt, quin potius frigida, cum solida dicantur talia, quod illorum particulae juxta se quiescentes aliorum resistent motui, quies verò ideam frigoris inducere solet. Si per se intemperatè calidæ non sunt, erunt ab humoribus influentibus; si ab humoribus influentibus erunt, à sanguine, è quo ceu fonte reliqui omnes emanant, Dum ergò dicitur fundi sangvinem à calida hepatis

intemperie, idem est ac si diceretur calefieri ignem in foco quem ipse calefecerat, aut humectari aquam à lapide quem ipsa humectaverat. Imaginaria erit igitur illa sanguinis fusio & ejus in serum mutatio, quæ mutatio impossibilis etiam foret concessa licet, quam urgent, caliditate, cum separari quidem serum à sanguine possit, reliqua verò sanguinis ingredientia, quod in aquam debeant facessere evinci non possit. Nec firmiori talo Trincavellii, qui *de Rat. cur. part. ham. corp. affect. lib. 10. c. 11.* renum imbecillitati à frigore contractæ causam imputat, stat placitum, cum similibus urgeatur difficultatibus. Nolim tamen negare imbecillitatem & laxitatem ventriculi & intestinorum huc multum conferre, si uti par est rectè explicentur. Nolo prolixus esse in examinando Paracelsi placito quando de Tartaro *lib. 2. tract. 3. cap. 1.* vult, Diabeticam passionem fieri quando sal urinæ pervenit ad renes ibique sicut tartarus in vase adhæret & illud alumen scissum spiritus ejus penetrat ad renes, sese insinuat & facit renes falsos, illudque alumen scissum perpetuo petere humiditatem &c. illa enim vel attractrici innituntur facultati, vel præter obscuros loquendi modos nihil in recessu habent.

TH. VII.

Medicorum Decus Th. Willis *Pharm. ration. sect. 4. cap. 3.* ingenuè fatetur assignatam renibus vim attractricem minimè sibi arridere, cum sanguis à renibus non attrahatur, sed motu cordis ad eos pellatur; porro nec serum à sanguine eos perluente hauriatur aut emulgatur, sed partim percolatione, & par-

DE DIABETE VERA.

partim fusione quadam sive præcipitatione secerni videatur: Diabeten sanguinis potius quam renum affectionem esse, quatenus cruoris massa velut deliquescat & in serositatem copiosè nimis fundatur, ita ut particulæ aqvosæ crassorum amplexibus citò elapsæ & salinis imbutæ per vias renum maximè patentés excurrant & interdum accidere à sale acido in renibus deposito cruorem, dum eos pertransit, velut à coagulo quodam in serositatem copiosam, quæ mox per ureteres amandatur, præcipitari. Urgerem Celeberrimi Viri sententiam ut colorem, odorem & saporem non mutata ex data hypothesis explanaret, nisi ipse talem Diabetem inter non entia referret, adeoque non obscurè innueret se ita de notha Diabete ratiocinari. Quærerem, etiam quodnam sal acidum sanguinem funderet, memini enim nuper à Domino Præsidente, Præceptore atque Promotore meo ætatem colendo à spiritu sulphuris venæ jugulari immisso in corde & pulmonibus reperiendum sanguinem in pulpamentum nigricans & ferè siccum abiisse; sed hoc labore supersedere me posse auguror, cum diversum utriusque sit institutum & circa diversos affectus occupemur.

TH. VIII.

Franciscus Sylvius *Prax. Med. lib. 1. cap. 55. §. 11.* Diabeten ob renum carunculas, si non secundum canales suos nimis patentés, sic saltem constitutas, ut feri plus secernant à sanguine, quam decebat, evenire. *In Prax. Med. append. fract. 8. §. 319.* autem eandem à sale volatili, eoque acri, aut forinsecus assumpto

pto



pto admissiove, aut quocunqve demum modo in corpore nostro secreto ac existente produci concludit. Cum salia volatilia, ejusdem Tractatus §. 295, vim habeant solvendi omnem humorem viscidum, à quo partium fluidarum æqve ac solidarum connexus vitiosus ortum habere soleat: Soluto autem humore viscido secedere posse facilius ab invicem partes sanguinis sibi alias haud ita intimè junctas. Ex dictis patet Incomparabilem hunc Virum renum laxitatem & sanguinem à salibus acris solutū simul in Diabete concurrere putare. Nihil certè quod moneam habeo cum de Diabete notha loqui videatur, utut enim attente ipsius opera evolverim præter copiosum urinæ mictum quid aliud per Diabeten illum intelligere reperire non licuit. Hisce enim omnibus concessis nec tam subito reddi posset urina, tempore quippe eget antequam per tot mæandros ad renum recessus perveniret; nec immutatus esset potus, qui in ipso sanguine tot generis corpuscula vexit & à sale volatili acri denuo ab eo præcipitatus est.

TH. IX

Stata atqve ordinaria naturæ lege potus ore sumptus dum in ventriculum descendit os gulamq; alluit, è ventriculo egressus ductum biliarium & Wirfungianum præterlabitur, intestinorum villos irrigat perqve eos transcolatus vasa lactea subit, per Asellii pancreas colatur, receptaculo chyli infunditur, ductum thoracicum ascensu suo emetitur, in vena subclavia venoso sanguini miscetur, cum quo dextrum cordis thalamum illabitur, rarefactus pulmonum arterias intrat, à venis receptus in sinistram
cordis

cordis ventriculum depluit, in aortæ bivio pars sursum, pars deorsum movetur, quarum utraqve articularum tramitem secuta omnium viscerum intimiora pererrat atqve à venis recepta ad cordis dextrum redit ventriculum & quem modo emensa erat circum denuo orditur. Illa solum potus portio ad renes pervenit, quæ sangvini admista una cum eo per arterias emulgentes in renes intruditur, quæ in minimas ubi desinunt glandulas liquidiorum cruoris partem transmittunt in renales tubulos, dum refluxum sangvinem venæ emulgentes cavæ reddunt, & ita per ureteres demum pervenit ad vesicam, ut matulæ reddatur quod ore haustum est. Hanc non aliam esse potus viam corporis fabrica evincit, atqve de eâ omnes anatomici adeo persuasi sunt, ut nemo qui contradicat reperiat. Quilibet longiorem illam esse pervidet quam ut brevi tempore absolvi possit, & dum illas attentiori intueor oculo ferè mihi persuadeo consuetam quidem hanc potus viam esse, sed in subitaneo potus transitu, qualem quandoque in Theam bibentibus miratus sum, hanc absolvi difficulter à me creditur, præsertim cum ex dictis pateat, ne centesimam potus partem ad renes pertingere, nec omnem, quæ eo pertingit, sequestrari, sangvis enim tunc refluxere nescius esset; reliquum verò potum vel longius à renibus recedere, vel, cum propinquius accedit, per alia diverticula elabi. Nec minoris momenti difficultates premunt potus non mutati redditionem. Dum ore sumitur, ut dentium & palatarum glandularum unctuosum taceam mucorem, saliva ipsi

misce-

miscetur, miscetur inquam, talis enim est, ut quam plurimis liquoribus tum acidis, tum alcalibus variisque spiritibus sese associet, multò igitur promptius id cum aqua faciet, illam verò non esse liquorem inertem, sed menstruum variis salibus aliisque particulis foetum experimentis evicit Ant. Nuck. *de Ductu salivali novo cap. 2.* Vix proinde labra irrigat potus, quin mutationis subeat aleam. Ventriculo illapsus gastricum imbibit liquorem, ex intestinorum villis eluit glandularum sudamina, succum pancreaticum recipit, nec ab admistione bilis immunis manet. His omnibus potum sive velis subingredi lactea vasa, sive illa omnia denuo ab eo separari contendas, manebit eadem difficultas; illud enim, si fiat multum sanè mutatus erit, hoc verò vix fieri posse facile mihi persvadeo intuitu nempe diversarum particularum, quarum nonnullæ, quæ in humoribus admistis reperiuntur, ad subeundas luctas aptiores erunt quibusdam earum quas cerevisia vel vinum habet. Sed largiar licet creditu illam impossibilem potui admistorum separationem esse tamen accuratissimam, ingrediatur ille non mutatus chyli receptaculum. Magnus vasorum lymphaticorum numerus refluxam à visceribus reliquisque artibus lympham, gelatinosam, falam &c. in receptaculum chyli & ductum thoracicum effusam potui miscebunt & illum alterabunt. Confunditur denuo cum sanguine cuius corpuscula nullo numero hætenus determinata sunt. Nec simplex est confusio, sed cum illo digeritur, in corde fermentat, in pulmonibus ab aere admisto spumofus denuo hac accessione auctus in sinistro

DE DIABETE VERA.

13

nistro cordis thalamo subigitur & per arterias, quem-
admodum ad omnes corporis partes, ita pars ejus
ad renes mittitur, quorum colatorium tale est, ut
præter aqueas, sal urinosum, acidum, terram & nescio
quæ adhuc alia transmittat, quæ ad vesicam missa de
illius mucilaginoso velamento plus minusve denuo
participabunt. Sint renes justo laxiores, tantum a-
berit, ut eorum laxitas aliarum particularum transi-
tum impeditura sit, quin potius aliæ alias insolitæ, quod
in plurimis observare est morbis, simul elabentur. Af-
firmare velle in sanguine tales non esse particulas quæ
potum mutare valeant, idem est ac sanguinem adesse
negare. Deliquescat ille & in serositatem copiosam
fundatur, seu, quod eodem redit, serum secedat. hoc
tamen salibus adhuc imprægnatum erit, cum salia
promptissimè in aqueis deliquescant. Præcipiten-
tur illa salia ab acido renum fermento, tunc sola min-
getur aqua; sed quomodo quæso, vinum, cere-
visia similesve liqvores compositi colore, sapore &
odore non mutatis excernentur?

TH. X.

Insuperabiles hæ videntur difficultates, tales-
quæ suo tempore prævidit. L. River. *Prax Med lib. 14.*
cap. 7. qui ultra veterum terminos progressurus in
re hac obscura & in naturæ silentio recondita per
analogisimum ratiocinatur & venenatam quandam
qualitatem concurrere vult; analogia à serpente
Dipsaco desumpta, qui morfu suo venenum in ho-
mines insinuet, à quo inextingvibilis sitis induca-
tur; unde concludit, simile etiam venenum in cor-
poribus

C

poribus nostris ex certa ac peculiari humorum corruptela generari ad similem fitim inducendam idoneum; præprimis cum videamus venenum quoddam maximam & horrendam, quod in hydrophobia contingit, potus aversionem inferre, quidni igitur & aliud venenum contrariis dotibus præditum, quod summam & incomparabilem potus appetentiam excitet, generabitur? Concludit tandem immane istud potus desiderium qualitati cuidam peculiari & occultæ adscribi debere. Ingenua certè confessio est & tali viro digna: eo nempe redit res, ut se nescire confiteatur atque adeo ejus satagit ut aliorum veterum excutiat, ne id, quod nesciunt, se scire profiteantur. In fasciculum collectis omnibus tot Celebratissimorum dissensus, illorum hæsitabunda nec satis distincta ratiocinia, mechanica urinæ secretio, morbi infrequentia, me ad incitas redigunt, ut quid sperare vel desperare debeam dubius & anceps hæream. Sed jacta est alea, vires igitur periclitabor, quod opus, licet non absolvero, inchoabo tamen, venient alii, quibus major ingenii felicitas, qui perficient id. Esto igitur: oritur Diabetes quando potus in ventriculo subito in vapores resolutus ex ejus poris elabatur, illos vesicæ subingressus denuo condensatur & ita per urinam redditur.

TH. XI.

Subito in vapores resolvi in ventriculo potum causæ Diabetis arguunt. Temperamentum cholericum, esus aromatum, farcimen piperatum, cepæ, vinum rhenanum, cretamus, calidiores & orientales regiones, febres ardentes, aquæ thermales &
vis

viscerum æstus ab authoribus medicis diabeten-
 produxisse priora docent: quæ omnia nimio motu,
 quem excitant, particulas potus ab invicem sejun-
 gunt & exagitant, ut circa proprios axes agitatae sub
 forma vaporum ferantur. Sive enim vel calidiores
 regiones, vel febres intuearis, quotidiana experien-
 tia se rem ita habere docebit, aucta insensibilis tran-
 spiratio & emanantes sudores hoc loquuntur; blan-
 dæ, quæ diureticis, vino rhenano aquisve therma-
 libus debentur fermentationes, blandusve calor si-
 ne eo nec fieri nec concipi possunt; aromata cum
 salibus acris, insigniter calefaciendo dum corpus
 exiccant & humidum discutiunt, quicquid ejus est
 in vapores agunt. Radiis solaribus ignique expo-
 nas humida non quidem avolare sed avolasse senties,
 nisi nimia hæc fuerint, tunc enim vaporum procel-
 læ in aëre fluctus agunt. Hæc omnia ita se habere
 inqvies, nec illam vaporum genesin in dubium re-
 vocari posse, quod tamen adeo subito fiat id fidem
 superare: nil aliud quod jam respondeam habeo,
 quam quodvis liquidum in vapores agi statim
 atque calori exponitur copiosiores vel pauciores ci-
 tius vel tardius pro caloris excessu: quæ itaque ab in-
 signi præcordiorum æstu in diabetis non præsto-
 laberis? vix humidum calido affunditur lateri quin
 contactus ejus & vapores simultanei esse videantur;
 in chymicorum furnis obnubilatur, alembicus inca-
 lescente aqua, quæ igne aucta rivuli instar decurrit,
 nec sicca corpora hæc recusare, ut alia taceam, clyf-
 sus antimonii ad oculum monstrat.

... TH. XII. de ...

Ex poris ventriculi elabi & illos vesicæ subingredi dixi: si corporum porositate adstruere institutum ferret, illam ordire, quam, cum absolvissem, denuo inchoare deberem, tanta enim est materiae hujus prolixitas, ut dicendo exhauriri vix possit. Nec animus fert corporis humani porositate evincere, vix enim reperiri conjicio, qui illam indubium revocet, ad laniones mittendus foret, ut è matatorum animalium visceribus meliora disceret, aut, si ita vis, ad lotrices, ut linteorum sordes ejus pertinaciam, obstinati enim & pertinacis ingenii hæc negare velle puto, abstergerent. In hoc verò difficultas erit an sola transpiret aqua, an una cum illa & aliæ compositi particulae? illud negabit nemo, hoc autem difficultatis non erit expers. Mercurium si in scenam vocarem, qui axungiae mistus plantis pedum illitus salivationem causatur, licet probanda probarem, non nemo tamen regereret, hujus naturam necdum exploratam esse, sed omnes induere formas & nunquam non nobis illudere adeoque ab eo argumentum peti non posse. Unguentum igitur de arthanita foris illitum qui vel vomitum vel secessum ciebit, nisi, postquam poros partium abdomen tegentium & ventriculi illapsus est, integris adhuc viribus esset. Boyleus commemorat sibi à præstantissimo quodam Londinensis Collegii Medico narratum esse se, sibi sæpe numero decocta nicotiana articulis suis aliisque partibus extremis vomitum provocasse; & ab alio ingeniosissimo Viro intellexisse, se à quodam rerum curiosarum studio rogatum ut

ut

ut manum porrigeret, quam cum alter manu sua apprehenderet oleo quodam chymico madefecerat; adeò tamen leviter, ut qui rogatus manum præbuerat rem vix animadverteret, donec paulo post motu quodam cathartorum proprio urgere se senserit; altero ad hæc subridente quid rei subesset suspicari cœpisse, quaterque brevi temporis spatio omni absque tormine & dolore dejecisse: *in tentam. porolog. p. m. 23. & 24.* Vera quidem hæc esse, & præter cantharides infinita alia idem evincere, sed externa esse atque illata una cum sanguine venoso ad cor pergere aut per poros recta partes subingredi, hoc verò hic non sufficere, requiri verò ut à calore corporis interno humor resolutus per poros elabatur, diffitam immutatus ingrediatur cavitationem, ad quam cum pervenit retineatur, aliquis urgeret & jure quidem hoc ageret. Per partes hæc probabo. Pus in scenam prodeat, liquor ille à corporis nostri humoribus adeò abludens, de quo non memorabo quod C. à Solingen *Chirurg. operat. part. 2. c. 11.* ope unguenti ex apostemate magno & profundo illud per poros auctos totum eduxerit, ut guttatim fuerit in cute collectum; Quot non prostant apud Observatores exempla empyicorum qui pus per urinam reddiderunt. Ablegant id multi cum Galeno mediante corde ad arteriam magnam & emulgentes; cum Falloppio per peculiarem venam in emulgentem desinentem; cum Matthiolo per venam azygos; cum Bauhino per peculiarem & insignem ramum ad cordis ventriculi sinistri ostium ex arteria venosa propagatum, qui

supra pulmonem sinistrum elatus ac mox reflexus in arteriæ magnæ truncum descendentem sub diaphragmate implantetur; nonnulli per intercostales arterias ad arteriam magnam deducunt, & hinc ad renes transmittunt. Maxima horum placidorū pars circulationi sanguinis repugnat, iis igitur non immorabor. Velle verò per cor transire pus, qui sine gravissimis symptomatibus, cordis nempe palpitatione, lipothymia, febre & similibus id fiet? Memorabile est, quod ad se perscriptum memorat. D. Sennertus *Prax. lib. 2. p. 2. cap. 16.* quendam in sinistro latere thoracis vulneratum fuisse gladio super costas nothas sursum adacto & licet vulneratus de nullo dolore conquereretur, tussi non affligeretur, nihilque sanguinis exspueret, tamen sequenti nocte difficultas mejendi illum corripuit & post quatri-duum copiosum sanguinem eminxit, quod duravit donec æger convaluerit. Si de hoc sanguine idem dixerò, quod modo de pure dictum, illum nempe extravasatum denuo arterias ingressum esse sicque ad emulgentes & renes pervenisse, non apparet cur ille sanguis præcise per tubulos renum percolatus fuerit non verò etiam reliquus, nec cur pori sanguini transmittendo semel assueti homine restituto semper sanguinem ploraverint? Necessè est sanguinem istum à calore corporis resolutum per poros diaphragmatis elapsum & denuo in vesicæ cavitate collectum fuisse. Expeditam hanc per poros viam esse, non ita diu est, quod Dn. Præses Præceptor meus æternum colendus observaverit; ægræ in femoris dextri parte interna vulneratæ curam gere-

gerebat, quæ tribus à prandio diebus continuis statim dolores in vulnere atrocissimos sentiebat, qui post bihorium remittebant, vulnere inspecto laudabile deprehendebatur, nec impuritatis minimæ vestigium notabatur; rei novitate attonitus in periodicos inquiri dolores, nulla adest febris, nihil labis vel vitii in vulnere deprehenditur, tandem verò ex ægra intelligit, se singulis prandiis tantillum acidi, semel nempe haustulum vini rhenani, semel vituli thymum cum paucis limonum succo ad levem aciditatem parato, tertia vice vino Franconico intinxisse panem & assumpsisse: sed aberant dolores statim atque tincturæ opii cum spiritu vini paratæ aliquot guttulas intro sumpserat. Manifesto argumento per poros ad vulnus id acidum perrexisset, alias enim nec tam citò id factum fuisset, & tantillum illud acidi totius Massæ Sangvineæ confusum adeò dilutum fuisset, ut vestigium ejus apparuerit nullum, imò si quod adhuc extitisset illud facillime à fermentationibus, quas subire debuit, subactum fuisse, illiusque adhuc ne millesimam partem ad vulnus pervenire quivisse. Quod verò potius in vesica quam aliis visceribus colligatur id pororum figuræ debetur: nempe dum in cavo abdominis obvolitat, æqualiter omnium viscerum ingreditur poros, pars nempe ipsius miscetur sanguini, sed æque facile denuo ex iis egreditur, quod nihil adsit, quod impediatur; in vesica verò pori foris intro spectantes differunt ab iis qui intro foras spectant, adeò ut per illos liquidum facile ingrediatur regressum tamen non inveniat. Urina hominis sani naturalis caloris vesicæ inclusa emittit quidem vapores,

D

pores,

pores, qui tamen copiosiores erunt vesicam si inver-
tas. Sal tartari vesicæ inclusum in aqua fervida ci-
tius cum inversa quam cum non inversa fuerit sol-
vitur. Et denique quid illæ Theam bibentibus quæ-
relæ, daß ihnen der Thee stehen bleibe/ und sie davon
dick werden/ aliud volunt, quam replere ventricu-
lum & intestina, donec lactea possit subingredi vasa
& per notos mæandros & circulos pervenire ad
renum tubulos ut excernantur? injustæ illæ forent,
si res semper ita fieret.

TH. XIII.

Ex præcedentibus constabit dicta ratione citò
& copiosè reddi posse potum per urinam; non verò
immutatum: non omnes namque particulæ æque
obediunt calori ut æqvabiliter resolvantur & postea
ex poris elapsæ eadem proportione colligantur, ut
in pristinum faceffent liqvoem, indies enim dum
chymicis operationibus vacamus, hoc deprehen-
dimus. Sed morbus est rarissimus; adeoque causam
habet raram nec quotidiè obviam, hoc enim si foret,
frequentior esset, itaque præter pororum illam laxi-
tatem determinati gradus calor requiritur, qui illius
particulas commovendo ex poris illas expellat, ea
ratione qua in priori vidimus à Dn. Solingen pus ex
poris elicium fuisse; si enim potus in vapores re-
solveretur, quemadmodum aqua à sole, vel liquida
in cucurbitis, ille omninò mutaretur; sed hic agitari
plus solito debent omnes ejus particulæ, ita tamen
ut ab invicem non totæ separentur & circa proprios
axes rotent, sed in tantum saltem in quantum ne-
cesse

cessè est, ut per poros meare possint, nec opus est ut ascendat; sed descendendo egreditur, eoqve, facilè crassiora & heterrhogenea corpuscula à vehiculo aqveo unâ abripiuntur salvis manentibus colore, odore, sapore, cum salva potus textura perstet. Difficultate non caret fateor, sed difficilis morbus difficilem & raram debet habere causam. Si urgeatur in tanta humorum copia & varietate, quanta in corpore est, licet priora omnia concederentur, fieri tamen non posse, quin peregrinæ particulæ potui mistæ illum alterent & mutant: nec hoc diffiteor fieri, sed cum in tanta copia & continuo transeat, paulatim eluuntur, vel quæ admiscentur, nimis diluuntur, ut reliquis prædominari & sensus organa ferire nequeant. Nuper observare contigit copiosum Theæ potum copiosam mictionem aquæ puræ, limpida, inodoræ & insipida excepisse, ita ut pejerasses totam puram aquam esse; cum tamen solutioni mercurii in aqua forti factæ affunderetur, præcitabatur illa, ipsum verò præcipitatum admistorum paucitatem ad oculum ostendebat, præcipitatum enim non erat ponderosum, sed in aqua hærendo librabatur, secus ac ab urina fieri assolet. Æstus proinde præcordiorum, aromatum usus, diuretica, febres, non quovis modo efficiunt Diabetem, nisi circumstantiæ, quas modo commemoravi, concurrant.

TH. XIV.

Perpetua sitis, arida fauces, saliva spumosa sequuntur necessario si plus feri evacuatur quam assumitur; deficiente enim in sanguine humido fauces

irrigari nequeunt, unde illarum ariditas & perpetua sitis; saliva spumosa est, quia ejus visciditas aqua non sufficienter diluitur; Elabente maximam partem, per poros sero, sanguis, fluido destitutus vehiculo, acrior fit, qui fibras rodit, unde totum corpus tabescit; fit etiam minus fluidus, proinde haeret in tubulis partium solidarum, unde intumescunt lumbi &c. Si quae etiam alia hic observantur phaenomena ex dietis facillime deduxeris.

TH. XV.

Quod si in Diabete vera non plus urinae excernatur quam potus assumitur, praecipue in juvenibus, in principio facilis curatu est: In senibus vero & decrepitis raro aut nunquam curatur. In his enim fibrae propter soliditatem difficillime poros constanter singulares acquirunt &, cum illos nactae fuerint, pertinacissime retinent: in illis autem molles adeo fibrae sunt ut pororum talem figuram facile admittant nec difficulter denuo amittant. Sin autem etiam in his in confirmationem abierit tabem mortemque inducit. Febris acuta superveniens raro curatur, sed plerumque exitialis est, nisi illa urinae ejectio critica fuerit.

TH. XVI.

In cura eò respiciendum ut calor ab aromaticis, diureticis aliisque acris excitatus temperetur & pori leniter adstringantur, eo fine à Practicis passim atque optime quidem commendantur.

1. Oleosa; nempe amygdalae dulces, semina melonum, cucumerum, papaveris albi, citrulli, cucurbitae, nucis pineae &c.

2. Ter-

2. Terrea; terra figillata, bolus armenus, CC. ustum, trochisci de spodio, ebur sine igne, calx viva in aqua soluta &c.

3. Viscosa, five quæ lentorem conciliare possunt; Gummi tragacanthum, arabicum, pyri, mali, pruni, mastiche, semina psyllii & cydoniorum, symphitum majus ejusque syrupus, species diatragac. frigid. Talis est pulvis quem præscribit, Th. Willis l.c. R. Gumm. Arab. Tragac. ana drach. vj. Sacch. penid unc. j. f. pulvis sumat. drach. j. vel dr. j. & sem. bis in die in decocto radicis symphiti, qui sumi etiam posset in aquæ calcis vivæ unc. j. vel ij.

4. Acida; Spiritus vitrioli, falis, sulphuris, nitri: In quorum tamen usu attendi velim ad causam morbi, si enim ab acidulis originem traxerit, non convenient, sin autem à salibus aromatum acris illa infringendo proderunt.

5 Adstringentia; Martialia, lapis hæmatites ejusque tinctura adstringens, tinctura mineræ martis solaris cum spiritu roris majalis parata, tinctura martis adstringens, crysalli martis, essentia croci martis Crollii, terræ catechu tinctura, radix tormentillæ, bistortæ, plantago, rosæ rubræ, illarum conserva & syrupus, decoctum prunorum sylvestrium balauftia, caro cotoneorum, syrapi ribium, oxalidis, de agresta, de succo acetosæ, myrtinus &c.

6 Refrigerantia seu omnia quæ calorem & nimium impetum temperant, inter quæ optima sunt quæ leniter simul adstringunt; Lactuca v. g. & portulaca, aliave quorum jam in præcedentibus memini. Quare etiam clysteres refrigerantes commenda-

rem præsertim nitratos, ut ita vesicæ poros leniter adstringerem & insimul humorum motum sisterem.

7. Passim etiam commendari leges opiata, nempe laudanum opiatum, theriacam, mithridatium &c. iis tamen non uterer, licet enim in theriaca v. g. magnus illorum satis numerus sit quæ modo adhibenda svasi, præcipuam tamen vim ab opio habet, ita ut observante Walæo hæc duo electuaria absque opio præparata sudorem prorsus non moveant, opii verò vis & diaphoretica & diuretica adeò jam in aprico est, ut de ea ambigat nemo, ad unum tamen omnes ferè diaphoretica & diuretica exulare jubent & meritò quidem, cum ex supra dictis morbum augeant.

8. Universalia præsidia multis placent, qualia sunt venæ sectio, vomitus, purgatio: sed cum hæc labes à sanguine non oriatur, sed æstus ventriculi præcipuè & intestinorum à salibus v. g. acris oriundus, una cum poris plus solito apertis, culpentur, sanguinis eductio huic malo non medebitur. Vomitus licet ventriculum vehementer concutiat, eo tamen ipso pori ejus non contrahentur, quin potius ampliabuntur; ut taceam, quas excitat in corpore turbas & in humoribus motus. Nec à purgantibus meliora mihi promitto.

9. Inter externa referuntur balnea, unguenta, emplastra. Balnea si frigida fuerint videntur indicationibus omnibus satisfacere, sed subitanea nimis est illa pororū adstrictio & refrigeratio quam ut illam probare possim, mallem fotum ex aqua ferrariorum
cui

cui plantago incocta fit, sed parcè usurpatum, cum subitæ mutationes periculosæ esse soleant. Unguentis & emplastris parum habeo fidei, quod, num poros pertransire possint, dubitem.

10. Ex medicamentis pro varia intentione aliisve circumstantiis variæ facilè parantur formulæ. Conditum exemplar habet P. Forestus *Observ. Med. lib. 24. Observ. 4.* R. Carnis cotoneorum, conserv. consolid. maj. rosar. vet. j. unc. sem. mucag. Gumm. tragac. Sem. coton. extr. cum aqua rosac. ana unc. sem. boli armen. terræ figill. ana drach. j. amyli drach. iij. cum syr. myrt. & papav. f. condit.

Deocti formulam vide sis apud Willisium. R. Rad. symph. maj. Nymph. ana unc. iij. dactil. incis. unc. ij. Sem. malv. bombac. plantag. psyllii, ana unc. sem. coq. in aquæ fontis lib. iij. ad mediet. colat. add. Syr. de nymph. unc. ij. M.

Nec emulsionem &c. paratu difficiliores erunt, adeoque in formulis addendis non desudabo, cum vel paululum in re media exercitatus facilè quivis illas concinnare & ægrorum palato inservire possit.

TH. XVII.

Assumat cibos incrassantes & quoad fieri potest iisdem indicationibus cum medicamentis satis facientes: Panes, pultes, varia ex farina tritici parata, lactinia, amygdalata, orizata, amyllum in jure carnis coctum, lentes coctas, carnem crassiorē partesque animalium viscosiores, v.g. pedes vervecinos, vitulinos, porcinos, bubulos, ova sorbilia. Inter olera, lactuca, portulaca, endivia sint, quæ, si cum aqua chalybeata coquantur

quantur magis conducent. Bibat lac quodvis, præ-
 primis si per filices scissum sit, cerevisia chalybeata
 sit, cui C. C. ustum addi poterit, vinum rubellum
 stypticum. Aër sit temperatus, somnus longior
 imperetur, caveat à motu & potius quiescat, alvus
 sit libera, sanguinem commoventia animi pathema-
 ta vitentur. Atque ita spero fore, ut quemadmo-
 dum disputationis hujus, ita & morbi
 fit futurus

TERMINUS.



ULB Halle

3

002 714 167




1077

Handwritten blue ink scribble







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1689, 13

3

MEDICA
RALIS,

ETE
A,

TE DEO
FACULTATIS
NSENSU
TORALI VIADRINA
DE

DO ALBINO,

hujusq; PROFESSORE.
MO, p. t. DECANO

RE ac PROMOTORE
tu atatem devenerando

NTIA
HONORES, INSIGNIA
CTORALIA

ndi
nini submittit,
DC LXXXIX.

ridianis,

SCHAPER,
arch.

IS COEPELII, Acad. Typ.

60

1891

